



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

73. Alivd De Eodem, Qvi requisitus à Iuliano apostata, comitem eius insequentem cæcitate percussum, fefellit, saluusq[ue]; Alexandriam reuersus est, vbi in latebris egit, donec cessaret persecutio. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

Pulsus in exilium praestans Athanasius vrbe  
 A cunctis tota quaeritur innocuus.  
 Praepositi quaerunt praetores atq; tribuni,  
 Impius & miles quaerit vbiq; virum.  
 Quaeritur & toto praesul venerandus in orbe,  
 Ad mortem certam suppliciumq; graue.  
 Praemia, qui viuum caput & qui portet, habebat,  
 Tantus erat sanctum perdere velle furor.  
 Ast frustra toto praesul disquiritur orbe,  
 Qui tutus cura est praesidioq; Dei.  
 Qui Domino toto confidit pectore, in omni  
 Est tutus contra mille pericla loco.

73. ALIVD DE EODEM, QVI  
 requisitus à Iuliano apostata, comitem e-  
 ius insequentem caecitate percussum, fe-  
 fellit, saluusq; Alexandriam reuersus  
 est, vbi in latebris egit, donec  
 cessaret persecutio. Ca. 34.

Anno  
 Christi  
 circiter  
 367.

Iulia cui dederat nomen gens clara tyranno,  
 Hostis erat saeuus perpetuusq; Dei.  
 Praesul ab hoc sanctus saeuo est Athanasius hoste  
 Eiectus patrijs sedibus atq; focis.  
 Crimen erat mortis nullum, quod praesule aruspex  
 Viuo responsum redderet atq; magus.  
 Cum parat in sanctum ferro sauire tyrannus,  
 Astitit huic populus flensq; dolensq; pius.

Quos

*Quos spe solatur lachrymantes sepe salutis  
Sanctorum vatum, talia verba sonans:*

**N**olite ô filioli perturbari, quia nubecula est, & citò transibit.

*Tanta quid ô vestras tenet hæc trepidatio mentes,  
Filioli, à vobis sit timor iste procul.*

*Iam nitidum tegit atra breui nubecula solem,  
Quæ citò transibit sole rubente nouo.*

*Effugiens seui gladios ignesq; tyranni  
Præsul, per Nilum nauigat imbriferum.*

*Quæ comes insequitur celeri pede seuus ad vndas,  
Vt capiat sanctum perfodiatq; virum.*

*Præsul vbi à tergo comitem sibi adesse videbat,  
Hæc pius ad socios verba notanda dedit:*

**N**olite ô filij deterreri, eamus magis in occursum percussori nostro, vt sciat quàm longè maior sit, qui nos defendit, quàm qui persequitur.

*Ne trepidate viri, firmo sed pectore mecum  
Hostis in occursum tendite quisq; feri.*

*Cæsar vt agnoscat maioris robore dextræ  
Quòd Duminus cæli corpora nostra tegat.*

*Nauiculã ad ripam iubet hinc conuertere præsul,  
Hostis qua celebri seuus ab vrbe venit.*

*Quos vbi conspexit venientis, obuius hostis  
Qui nam sint, comitem dicere vera iubet.*

*Non etenim ad mortem quærat quos ipse cruentã,  
Credidit in occursum velle venire sibi.*

*At ubi cognouit qui sint, celer instat & vrget,  
Ut capiat claros tam pietate viros.*

*Non tamen ante oculos vidit, quem perdere venit,  
Artibus elusus præstigijsq; nouis.*

*Hinc præsul monitus patriam regressus in urbem,  
Præsidio Domini tutus ab hoste fuit.*

74. EX LIBRO II. IOVIANVS  
ad exercitum Iuliani Apostatæ conta-  
minatam sacrilegijs, cum ad insi-  
gnia imperij suscipienda vr-  
geretur, inquit:

**N**on possum vobis imperare, quia Chri-  
stianus sum. Cum autem responde-  
rent se quoq; Christianos esse, volun-  
tati eorum acquiescens, imperij gubernatio-  
nem suscepit. Cap. 1.

Anno  
Christi  
368.

*Cum daret imperij fasces exercitus altas,  
Sacilego sanctus sic Iouianus ait:*

*Non queo sacrilegis dominari Cæsar in orbe,  
Qui nuper Christo nomina sancta dedi.*

*Cum clamant nomē quoq; se Christi esse professos,  
Imperij Cæsar sceptræ gerenda capit.*

*Reddidit hic sanctus, quæ Cæsar ademerat antè,  
Nomine de claro dictus Iule tuo.*

*Ethnicæ*